



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Mirùm, si probi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS XVI. MILITES.

§. I.

Mirum, si probi.

Vives in gladio. Gen. 27. 40. S. Chrylost. hom. 53. scito, quod militare vitam acturus sis. Miles non facile pius. Hebr. 12. 16. *Ne quis fornicator, aut profanus ut Esau.* Profanus, id est, ait Hugo, piger ad divina, alienus à Deo. Estne miles? omnino: nam patet Gen. 27. *vives gladio.* Velloso in Judith 1. Disq. 5. Paran. 1.

Tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Matth. 8. 8. Si miles facile pius esset, non miraretur Christus hoc dixisse fide nobili. Ac nè quis negaret, hominem piâ fide probatum esse; jurat per sanctè Dominus: *amen dico vobis.* v. 10. quasi non facile crederetur miles fide pius. Deinde laudes aggerit: *non inveni tantam fidem in Israel.* Itane, Domine, minor est fides Petri, Joannis, Abraham &c. Litem solvit Cajetanus: major erat illa fides in viro gentili, & militari. Velloso ib.

Tunc milites presidis suscipientes Jesum &c. Matth. 27. 27. Inter acerbissimas Christi D. poenas fuit, militibus tradi. Nec mortuo à milite parsum. S. Ambros. l. 66. cum peccant graviter, hac solent à peccatis suis primâ se voce excusare; quod militant.

Interrogabant eum & milites. Luc. 3. 14. Priores tamen fuere de vulgo homines: *interrogabant eum turba* v. 10. Deinde exactores pecuniæ publicæ. v. 12. *venērunt & publicani.* Postremò milites v. 14. suò scilicet genio mores neclunt, cum de re pia agendum est. Velloso ib.

Ordo militum nunc est, ordinem non tenere. Nam cujus os majore verborum spurcitiâ polluitur? Qui detestabilis jurat, qui minus Deum timet, qui ministros Dei vivificat, qui Ecclesiam non veretur: iste hodie in cœtu militum fortior, & nominatior, reputatur. Ble-sensis ep. 94.

§. II.

Milites sancti, & probi.

Fuere tamen milites sancti, qui arma tractarunt salva fide, religione, pietate. Abraham quanta fides, & pietas! qui, hoste fusò, Melchisedech ex itinere adiit. Gen. 14. 18. *proferens panem, & vinum.* David sacros versus pangit inter lituos: Pl. 56. *titulus in finem,*

cum sugeret à facie Saul; ubi tragœdia tota de vita castrensi. Pl. 59. *titulus in finem, cum succendit Mesopotamiam Syria.* Ità David pius in armis, religiosus in castris, sanctus in acie; totus in bellum ardere, flagrare totus in Deum solitus. Velloso cit. supra.

§. III.

Miscellanea.

Timete Dominum, & servite ei perfectò corde. Jos. 24. 14. Panormitanus l. 3. de reb. Alphonsi c. 51. Alphonus Rex Aragoniæ filio suo, dum in Florentinos moveret, hoc documentum dedit: victoria, mihi credè, non hominum disciplinis, aut industriâ paratur; sed Dei O M. benignitate, & arbitrio. Scientia rei militaris ità demum profutura est, si Deum nobis pietate, atque innocentia pacatum, propitiumque habuerimus. Quantum regi Abia ad victoriam profuerit custodia divinatorum praeceptorum, vide 2. Paral. 13. 10. 11. Schönbelen Disc. 30. tempore belli.

Recensuit eos, quasi agnos. 1. Reg. 15. 4. Appositè milites comparat agnis: ut notet militum simplicitatem, & obedientiam; quod ut agni sequantur suum Ducem. Cornelius hic.

Quatuor sunt minima terræ &c. Prov. 30. 24. Salazar appositè per hæc quatuor animalia accipit quatuor hominum genera; quæ Republicam constiant, fovent, & promonent. Per locustas, milites, qui urbem, & Remp. ab hostibus defendunt: locustarum enim exercitus, ordines, & acies, militiam quandam præferunt; imò ipsorum forma galeatos milites refert. Cornelius hic.

Ubi Christus est, omnis celestis militia adest, tanquam principi militia virtutis Domini. S. Ignatius M. ep. 7. ad Smyrneses.

Charactere Domini inscribuntur servuli; & nomine Imperatoris signantur milites. S. Ambros. de obitu Valentiniani Imp.

De militia translatus est in militiam, qui terenti tribunatus, quò fugebatur, officium Christianæ militiae professione mutavit. Petrus Dam. S. de S. Georgio.

Dux Albanus Capitaneus Generalis exercitus Caroli V. habebat quadringentos juvenes animosos, & resolutos, quos vocabat prodigos vitæ, & perditos Baghâss. Hos in conflictu immittebat seorsim in latu hostium fortius; illi audacissimi, pugnacissimi, & certi mori, turbabant ordines hostium, eosque rumpendo ordinariè pariebant victoriam. Cornelius in Matth. c. 10.